le 9. X^bre. 1757.

De Vesicæ Calculo —
Historia.

Puer septennis, calculo laborans, e Turre Verolengi (pagus est inter Eridani et Duriæ Baltheæ oras situs) Taurinum translatus fuit, ut secaretur. Hoc in S. Joannis Nosocomio factum est Mense Majo anni 1751, atque æger trium hebdomadarum spatio convaluit nullo superstite in vesica lapidis frustulo. Integer namque hic forcipe fuit eductus, qui mediocris juglandis habebat magnitudinem, asper erat, atque spinosus.

Tribus annis prorsum elapsis, idem puer lythotomiæ denuo indigebat, nam dolorosum urinæ stillicidium, et catheteris introductio novum calculum priori majorem in vesica degere confirmabant. Rursum itaque sectus fuit, sed aliquanto inferiùs pone vesicæ collum. ac ista secunda vice lapidem difficiliori quàm antea, negotio forcipis ope tandem extrahere licuit.

Absolutâ lythotomiâ, quum omnia de more opportunè administrarentur, non videbatur æger symptomatibus vexari pejoribus, quàm quæ solent hujusmodi ægrotantes invadere. de ventris enim dolore ipse simpliciter conquerebatur, atque mediocris in ipso deprehendebatur febris, prætereaque nihil funesti. Verum triduo post urina, quæ per plagam antea fluere solebat, cessavit. Tendebatur abdomen febris vehementiùs accendebatur, lumborum dolor,

uti puer languidè referebat, magis magisque intendebatur excitabantur paullatim, et invalescebant convulsiones, et pulsus intercipiebatur, quousque æger ad superos migravit.

Hujus cadaver aperui, abdominisque contenta sum diligenter speculatus. Nullum noxæ vestigium præter levem inflammationem in recto intestino — apparuit; cætera vero intestina, licet flatibus præter modum distenta, incolumitate frui videbantur. Vesica vehementer contracta, dura, crassa, et inflammata apparebat. Renes ambos inveni sanguine infarctos; ureteres autem urinâ adeo turgentes, ut duos et ultra pollicis Geometrici trientes eorum diameter æquaret. Isti digitis pressi urinam non transmittebant in vesicam, neque istam flatu per ureteres immisso inflare unquam potui. Præterea alter ex ureteribus binos ramos habere conspiciebatur, qui conjuncti a renis concavo margine discedebant, tunica communi obvolvebantur, et dimidiam fere ureteris longitudinem dimetientes, mox in unum truncum coibant usque ad sibi respondens vesicæ ostiolum. Hunc ureterem inflatum, exsiccatumque Clariss. Anatomes Professori tradidi.

Ex hac historia clarè distinctaque enarratâ quas quisque mavult, eruat illationes. Ipsam ego raritatis caussâ tantummodo retuli, mirum enim

videtur, vesicæ calculo bis laborasse puerum, in quo et illa naturæ lusus adesset. At aliquid inde inferre vix ausim. Monendum tamen adhuc est, ex prædicto pago duos alios pueros, et mulierem, calculo laborantes, Taurinum intra eosdem annos venisse, ut chirurgiæ opem implorarent. Per mulieris urethram extrahebatur lapis, ovum palumbinum ferme æquans magnitudine; sed in ejus vesica aliquo post tempore calculum renatum fuisse rescivi. An vero se chirurgiæ denuo subjecerit mulier illa, nec ne, ignoro.

Petrus Antonius Perenotus.